NICOLAI

CIAMPITTII

VITA

AUCTORE CAESARE DALBONO.

Τοιῷδε φωτὶ τίς ξυμβήσεται ;
Τίν' αντιτάξω τῷ δε ; τίς' φερέγγυος ;
AEschylus

NEAPOLI
Ex Typographia Fibreniana
MDCCCXXXIII.

CL. VIRO

JOSEPHO CAPRIOLIO

REGII CONSILII A SECRETIS

CAESAR DALBONUS

S.

Quum ego tibi jampridem quoddam grati animi specimen dare constituissem (namque humanitas erga me tua ita me tibi devinxit, ut nesciam quomodo dignas tibi gratias referre possim) tandem opportunissima sese mihi dedit occasio. Vitam Nicolai Ciampittii breviter conscripsi quam tibi offerre jamdudum in animo est. Quapropter comitate ac benevolentia qua soles, ut hoc excipias munusculum precor; quod si feceris ad maiora conscribenda animum dederis. Vale.

Nicolaus Ciampittius Neapoli honesto loco natus anno R. S. mdccxlix. xvi Kal. Oct. honestioribus parentibus Dominico et Barbara Candida usus est. Ab ineunte pueritia scholas societatis Iesu frequentare adortus, jam inde ab initio admirationem sui ipsis praeceptoribus injecit, quum adolescentulum tam celeriter, quae illi traderentur accipere, ac retinere viderent. Quamobrem illum omni ope atque opere sibi conciliare et impensius hortari ut in eorum societatem adscriberetur. Quibus ille cohortationibus facillime obtemperaret, nisi ab iis parentum auctoritas deflecteret. Qui quum postea vidissent illum magis magisque in diem solitudine ac studio delectari, neque unquam ad inania et futilia, uti mos adolescentum, animum adjungere, eum in neapolitano seminario, ut ad maiora gradum facere posset, erudiendum curarunt. Ibi tunc amplissimis doctissimisq. viris Martorellio et Aula auctoribus (quos

*

leo humanitate et ingenio sibi devinxit, ut
lis nihil Ciampittio carius nihil antiquius
sset) haebreis graecis latinisq. literis ope-
m maturius dare coepit, quibus in com-
arandis adeo reliquos anteivit, ut brevi
rincipis gradum inter omnes assequutus est.
uae tamen studiorum aemulatio nunquam
iampittio invidiam sed admirationem et
morem comparavit. Namque ita modestus
rat, ut nunquam superbiae suspicionem,
n aequalium et condiscipulorum animos
nduxerit. Postquam autem ex ephebis ex-
essit, gravioribus studiis obnixe incubuit,
umque Albertus Capobiancus et Salvator
ogerius, alter philosophiae alter matheseos
raeceptis imbuerunt, quibus in studiis quan-
um ille profecerit ex eo potissimum dignosci
oterit quod ne temporis quidem momento
nanum vel animum otio torpescere sinebat.
Quamobrem nemo mirabitur illum in hoc e-
tiam novo curriculo omnes antecessisse; quae
es non solum bonos omnes, sed etiam invitos
d illum adamandum suscitabat. Illi autem
boni qui quadam morum ac studiorum simi-
litudine ad Ciampittium accesserant, amici-
tiam illam usque ad vitae finem perduxere;

nam quum amicitia virtute nititur, nec fortuna nec tempore immutatur. Quos inter non praetereundum puto praecipuos fuisse Donatum Lilium, Cajetanum Carcanum, et Franciscum Ricciardium, virum omni doctrina praeditum, qui olim summos ad magistratus evectus, sic perpetuo Ciampittium carum habuit ut nihil supra. Postquam Theologiae sanctissima dogmata edoctus est, sacerdotio initiatus et ad paternam domum reversus, nunquam a literis abstitit, sed tunc praecipue historicis quoque studiis nihilo segnius se dedidit, breviq. supra quam cuiquam credibile progressum fecit, simul quod et antiquitatis amator, et laboris patiens erat. Interea Iosephus Simeolius vir amplissimus quum Neapolitani seminarii gloriam magis augere conaretur, ad rem fore putans ipsos seniores seminarii discipulos arcessere, qui adolescentulis nobilissimam sapientiae viam monstrarent, inter primores ad hoc Ciampittium advocavit, qui primum scholis praefuit infimis, deinde humanioribus. Ad hoc vero munus multa prope alia accessere. Quum enim Salvator Aula tunc eloquentiae professor, diuturno morbo confectus,

lectiones producere nequisset, Philangerio archiepiscopo quaerenti quemnam vellet honoris sibi ac officii successorem ad tempus renuntiare: Ciampittium meritò respondit; namque ille tunc longe omnium dignissimus videbatur cui tantum munus concrederetur. Paulo post diem obiit supremum Aula, ob cujus decessum quantus dolor Ciampittium fregerit paucis expedire nemo posset, atque dolori amicitiaeque obtemperans suavissimam Aulae sui vitam perscripsit quam postea typis edidit. Rectoris insuper vices in eodem seminario gessit; quis enim illo melius fungi potuisset? Totum igitur ad pueros blande erudiendos animum convertit, nec tantum literas caeterasq. severiores disciplinas, sed ingenuos quoque mores magis exemplo quam praeceptis illos edocendos curavit; nam ut animi adolescentum non solum studiis sed etiam virtutibus imbuerentur acrius adnitendum arbitrabatur. Renuntiatus paulo post eorum inquisitor qui sacerdotium ineunt atque confessorum, sociosque inter adnumeratus Domus Orationis, qui duo delati sunt honores opera Iosephi Capycii-Zuroli. Interea Ianuarius Vicus, immortalis Joh. Bapt. filius, qui tunc

cathedram obtinuerat latinae eloquentiae, morbo vel aetate fractus, decessit. Quod officium Ciampittio confestim traditum est non minus sapientia quam virtute viri. Praeterea munus quoque rectoris Regiae Universitatis his omnibus cumulatum est. Anno MDCCCVII Academicorum Herculanensium societati adscriptus, cui postea praefuit ab anno MDCCCXXVII. usque ad diem supremum. Per idem tempus Neapolitanae Ecclesiae Canonicus, atque seminarii simul rector creatus, quod in peius ruens quasi ab interitu opera et cura vindicavit, et in pristinum restituere conatus est vehementer; neque impensis neque labori pepercit, sed assiduo aere suo aegestatem obire archigymnasii visus est. Tantam nihilominus in antiquitatis studiis experientiam, tantam in rebus omnibus sapientiam, tantam in latine scribendo copiam elegantiamque (ut illum nemo anteiret) oris commendatio, et non fucata morum simplicitas longe superarunt. Nulla enim virtus quae in illo non admiraretur. Comis, blandus, in amicitia fidelis, rerum suarum pariter ac laudum contemptor, ut illum magnifice de aliis audiveris, nihil unquam de se loqui; ideo quo

minus gloriam petivit eo magis adeptus. Juvenibus carus, qui non secus ac patrem illum amore prosequebantur, amicis vero carissimus, nec minus optimatibus, ad quos ubi primum accederet, sibi aeternum eos conciliabat. Sic ille pueritiam, adolescentiam, totamque vitam transegit. Sed tandem aetate provectus, assiduoque labore ac studio confectus, moerens ob interitum complurium amicorum, praesertim Donati Lilii, et Aloysiae Ricciardiae Camaldulorum Comitissae, quos ille in primis totoque pectore amabat, paulatim vigorem ac sanitatem amittere coepit. Polypum insuper nactus, dein febris accessione correptus, quum duo et octoginta annos complesset, vitam amisit. Nec lacrymas modo amicorum sed latinae eloquentiae omnem fere gloriam quam per tot annos Parthenopes obtinuerat, moriens secum duxit. Sed illi futura quidem latinarum literarum ruina animo obversabatur, quod saepe cum amicis dolere audiebatur. Imo etiam paulo ante quam e vivis decederet, quum de hoc viro amplissimo Josepho Capycio-Latro seniori Tarentinorum Archiepiscopo conquereretur: heu, inquit, nos ambos senes quisnam lati-